

918.

V. 10. 4.



S. Freiherr v. Ende-Schlossnitz

19.

SPECIMEN
VANARUM MEDITA-
TIONUM
JACOBI MASENII,
JESUITÆ COLONIENSIS,
EX EIS
MEDITATA CON-
CORDIA
PROTESTANTIUM CUM CATHO-
LICIS IN UNA CONFESSIOINE FIDEI,
EX S. SCRIPTURA DESUMTA,
PRAESENTE
SEBASTIANO NIEMAN-
NO, SS. TH. D. P. P. Superintendentē ac
Pastore.
ad d. Maji
ANNI M DC LXVI.
Publico Eruditorum examini
exponet
ADAM PLACOTOMUS,
Friedlandō - Mechlenburgicus.

EDITIO ALTERA, M DC LXVII.
JENÆ,
Typis BAUHOFERIANIS.

17.

STEGLIN
ANARUM MEDIA
TIONUM
JACOBI MASENI

MEDITATA CON

CORDI
TROTSANTHUM CUM CATHO

SERAPIANO NIEMAN

NO. 215 D. P. G. B. C. 15

ANALOGIA

ADAM ET AGOTOMUS

PIETATIS MECIOPHYSIENS

EDITIONES T. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.

LINN

TYPIS G. ANTONIUS

51



I.

Didit paucis abhinc annis JACOBUS MASENIUS, Soc. Jesu presbyter, Meditatum Concordiam Protestantum cum Catholicis in una Confessione Fidei ex S. Scripturâ desumptam, quam Confessionem a se primum ex collectis collatis, Scriptura verbis compositam esse, ipse in premonitione aperte fatetur. Quamquam autem plurima occurrant in hac Meditata Concordia, & cui illa innitur Confessione Fidei, quæ hanc perfunditoriam censuram mereantur, nos tamen hâc vice aliquod tantum specimen vanarum meditationum Mafenii, quæ in hoc opere, & præcipue in primâ ejus parte reperiuntur, os utrum proponemus, ut quid de hoc homine ejusque conatibus judicandum sit, vel inde apparet.

II. Et principio quidem, ut sua cuique inventa blandiuntur, ita & Mafenius hunc foetum suum, Meditatum hanc Concordiam suam ipse admiratur & magni aestimat, idque non domi & inter suos, sed publicè coram totius Europæ & in primis Rom. Imperii Principibus ac liberis urbibus, coram Imperatore Romano, coram ipso denique Pontifice Maximo. Sic in prefat. ad fac. I.
Protestantium totius Europa Principes : En Meditatum in una confessione Concordiam, inquit, quam si admittitis, gravis illa, nisi fallor, religionum procella, & jactatio Ecclesiistarum simul & regnorum subfiderit, error deponitur, spes reddit unitatis. Et in Epist. dedicat. fac. 4.
ad Alexandrum VII. Pont. Max. Confessionem ipsam ei fistit, parvam illam quidem, paucisq; exaratam verbis, sed ad eliminandam errorum heretum, inculcandam orthodoxam veritatem sufficientibus. Rursus in ante allegatâ prefatione eandem Confessionem dignam censet, que in estimatione ac censu illorum haberetur scrip- fac. 5.
tiorum, quibus Protestantes in primis niterentur, suamq; toti Imperio

A 2

pag. 10.

rio

rio mentem proderent. Tandem etiam nostrarum Universitatium ac Doctorum iudicia non solum non subterfugit, sed & deponcit, ac si etiamnum reslitent, & neque subscriptant, neque contradicant, tanquam adversarios veritatis, Dei ac vere religiosis hostes, patria ac tot innocentium, qui se sis credunt, animarum proditores proclamat & detestatur: imò Principes Europaeos, præsertim vero Imperii Romi. Status obtestatur, ut quilibet Doctores atque Academias subiicit vel ad subscriptionem Confessionis hujus, vel ad emendationem ejusdem (si quid erroris contineat) idque juxta professionem reformationis sua ex solo aperio, verbo Dei (omnium hominum verbo submoto) impellat; & nisi ex prescripta illud formulæ præstant, tanquam erroris magistros, & perinde aciter veritati divine obnubant, sùd ab Ecclesia proscrivant, si cum errantibus erare, & cum pereveribus eternum interire nolicerint.

III. Quæris, qua tandem sit illa toties laudata Confessio, illa tamen egregie meditata Concordia? Dicam. Confessio ex sola Scripturâ S. (ut præ se fert) adornata est, ita ut Tridentini in primis articuli inter Protestantes & Pontificios controversi solis Scripturæ verbis, & quidem illis, quibus alias à Pontificiis probari solent, proponantur & sub finem singulorum articulorum pag. 38. Confessionis adverfa sententia expresse damnetur. v. g. cap. V. de Sacramentis & Sacrificio articulus III. ita habet: Credimus illum, qui in causa discipulorum dixit: Bibite ex illo omnes (qui etiam bibuerunt ex illo omnes) etiam dixisse: qui manducat ex hoc pane, vivet in eternum, si dignè manducet. Nam quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reu erit corporis & sanguinis Domini, reu inquam utriusque, quia uerobique totius. Unde & in Emmaus, solo pane accepero, benedicto & dato, aperti sunt oculi discipulorum. Et Christiani in Jerusalém horum exemplum erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communione fraternalis panis. Qui enim manducare nos fecerit corpus, & facere hoc ad sui commemorationem, non justè eandem facere commemorationem de calice, nisi quotiescumque biberemus. Damnamus illos igitur omnes, qui damnant sub una specie panis communicantes. Et sic in exteris.

IV. Hanc

IV. Hanc Confessionem si Protestantes amplectantur,
i. e. si sua ipsorum dogmata damment & ad partes Pontificiorum revertantur, Concordiam tot suspiris hactenus desideratam fanicitum iri promittit Masenius. Huc enim collineare ejus laborem, ut Protestantes suam damment, Pontificiam verò approbent doctrinam, non solum damnationes singulis articulis addita docent, sed & Masenius ipse loco non uno apertè satis indicat. Nam in prefat. partis I. dilerte dicit, teneri Protestan- fac. 2. & 3.
tes ad partes Pontificias veritatemq; à quā male diuulsi sint, reverti.
Et observat. I. ad copiam supplicationis: Quod reliquum est, inquit, nūs ut illi (Protestantes) veritatis salutisq; causa in hujus pag. 4.
(Ecclesia Pontificis) denique partes lubentes volentesq; concedant,
plus gloria habituri, dum piè succumbunt, quām cūm perversè oblitū
etiamur. Contrà autem II. ce. ait, se damnaturum vel apicem minimū,
qui Ecclesia Catholicae, i. e. Pontificiae adversabitur, item or-
thodoxam (Pontificiam) Ecclesiam in nullo unquam religionis ac
fidei recepta articulo deflectere à veritatis linea, vel ungue lato aut
posse aut debere.

V. Meritò autem quis miretur, Masenium, qui novum aliquod ēvenia polliceri videbatur, non aliam incunda concordia viam monstrare, quām illam, quæ jam per sesquiculum toties à Pontificiis monstrata, toties à Protestantibus gravissimas ob causas repudiata fuit. Et qui possent Protestantes bonācum conscientiā hanc concordia viam ingredi? cūm propter ipsos illos errores, quos nunc volente Masenio approbare debent, olim à Pontificiis secessionem fecerint, idque non desultoriā quādam levitatem aut cæco impetu, sed maturo judicio & re benē ponderata ac discussa, ut videre est ex Apologia August. p. 179. 204.
Confess. & Traç. de potest. & prim. Pape per Theologos Smalcaldia Ann. 1510 XXXVII. congregatos consipro. Approbarent p. 347. 348.
eiim errores contra conscientiam, quos olim certā conscientiā improbaverant: faterentur se hactenus errasse, cūm tamē nullius erroris hac in parte convixi, nullius sibi consciū sint: Jugo denique Pontificio colla sua denuō subderent, quod magnā cum difficultate & labore magno olim excusserant.

VI. At enim Masenius regeret, etiamsi illa concordia
inevita ratio nova non sit, novo tamen modo se propositam
esse, & quidem ita, ut facere non possint Protestantes, qui in e-
am amplectantur, nisi propria vineta cedere, i.e. propria prin-
cipia evertere velint. Supponit enim tanquam certum, quan-
do Protestantes profitentur, ex sola Scripturâ s. articulos reli-
gionis Christianæ probandos reformatamque Ecclesiam esse,
eos hoc ipso expresa tantum, clara & diserta Scripturâ verba,
nullam autem interpretationem, consequentiam nullam, nul-
lum humanum verbum admittere. Eoque supposito arma ex-
tera pro defensione Pontificis fidei ponit omnia, & ad nutum
Protestantium Confessionem solis Scripturae s. verbis conce-
ptam proponit, ut ostendat, si ex sola Scripturâ religionis con-
troversiae decidenda sint, Pontificios nihil inferiores, imò mul-
ti etiam superiores Protestantibus futuros esse, cum nulla aliarum
confessionum, quantumvis omni Scripturarum praesidio munia, hoc
facere compertia sit hactenus, in articulis Pontificiorum doctrina op-
positis, ut nil nisi s. Scriptura verbis sensuq; illis, quibus deponitur
locis conformi & obvio loqueretur; quod in hac Confessione, quan-
tum existimat, praestitum sit, adeoque Protestantes per sua ipso-
rum principia & postulata tenerihanc Confessionem, & qua er in-
nititur Concordiam admittere, & ad Pontificiam, à qua disces-
serunt, Ecclesiam reverti.

VII. Idque tam certò sibi persuasum habet Masenius, ut
tantum non ubique illud ingeminet inculcetque. Sic in Ep. de-
dic. ad Alexandram VII. Papam. Protestantium hoc votis principiisq;
detulimus, inquit, ut ex sola tantum scriptura hoc in Confessione
loqueremur. Quâ sola cùm aperte etiam vincimus, ad illam provocati-
— sfero (nisi omni praesidio destituti in sola demum pertinacia hære-
ant) propediem tanta luce veritatis excitatos, ad suam optimos quo-
que Protestantium salutem reddituros. Hoc omnino non possunt, nisi
ad ovile Christi Pastoremq; summum, in Petra Romana vigilanter-
transcant. Et in prefat. ad Protestantium totius Europæ Principes
&c. satis præsiderter ita insit: NON POTESTIS hanc Medi-
tata in una Confessione Concordiam SALVA EXISTIMA-
TIO-

fac. 4.

fac. I.



TIONE ATQVE INTEGRITATE VESTRA rejiceret, quia EX
VESTRIS LEGIBUS AC PRINCIPIS concepta est, vestra simul,
ac divina autoritate nititur. Quare non tam mihi exornandi estis,
ut admittatis, quam ut agnoscatis jam dudum admissam. Si enim
hec vestra profectio est, ex verbo Dei scripto minime dubiam verita-
tem eruendam esse, reformatamq; Ecclesiam, — profecto qui tam-
quam concordia unitatisq; Ecclesiarum conditiones repudiaverit, is
privata & publica salatis contemptor jure erit existimandus. Et
paucis interjectis addit: Manifestus hic exitus à controversiis hoc
tempore de religione tanta terrarum & animalium clade suscepis &
peritur. Ut enim apertissima Catholicae fidei veritas pateat universis,
arma cetera pro defensione ponimus omnia, & juxta Protestantium
arg. Ecclesia solorum postulata ac principia, ex solo verbo Dei scripto,
in proposita utriusque partis Confessione progradimur, argue ad ocu-
lum demonstramus, Catholicos ex sola Scriptura S. suos abunde articu-
los claris expressisq; probare verbis, & quidquid sua Confessione Pro-
testantes aducerunt ex S. iisdem literis, nihil officere, adeoq; TENE-
RI ILLOS ETIAM JUXTA PROFESSIONEM PROPRIAM AD NOSTRAS
PARTES veritatemque, à qua male divulgisunt, REVERTI. Hisce
gemina & alibi occurunt, quae omnia hoc transcribere necesse
non est.

IIX. Sed quis non videt, hæc omnia, utut magno verbo-
rum apparatu & aliquā æQUITATIS SPECIE proponantur, falsā niti
hypothesi, ac si Protestantes, dum ex sola Scriptura fidei doctrinā
nam probandam esse dicunt, eam tantum probationem depo-
scant & intelligent, quæ sit per diserta & expressa Scripturaræ ver-
ba, seu per ejusmodi Scripturaræ testimonia, quibus id, quod
probandum est, totidem verbis, syllabis atque apicibus expres-
sum legatur; illam autem, quæ sit per legitimam & evidentem
consequentiam unā cum interpretatione Scriptura ac verbis hu-
manis, quibus vel consequentia ejusque vis offenditur, vel sensus
hujus aut illius loci explicatur, penitus excludant?

IX. Sanè ejusmodi ineptiæ nunquam Protestantibus in-
mentem venerunt, sed malitiosè à Johanne Gonterio, Franci-
sco Veronio, Walenburchiis fratribus, Jacobo Masenio & id ge-

fac. 2.

part. I. p. 4.
part. II. in
denuisa po-
stulatione
fac. 3. &
præmunit.
1. pag. 1.

num



huius musteis hominibus alii illis affinguntur. Protestantes enim dum suam doctrinam ex SOLA Scriptura probant, & ut Adversarii idem faciant, postulant, particulâ exclusivâ SOLA non excludunt consequentias ex Scripturâ deductas, non interpretationes Scripturæ, non verba humana, quibus utræque proferuntur (his enim partim id, quod virtute in Scripturâ continetur, eruitur, partim ipsius Scripturæ genuinus sensus exponitur, tantum abest ut excludantur) sed traditiones ut & de cresa conciliorum & Pontificum, que Adversarii pro propriis rerum credendarum principiis venditabant, & ex quibus dogmata sua controversa probabant & Protestantibus credenda obtrudebant, etiam si neque expressis verbis in Scriptura continentur, neque per bonam consequentiam ex ea deduci possent. Quod si non aliunde, saltem inde constare potuisse Adversariis, quod nostræ Ecclesiæ in solidâ repetitione & declaratione, postquam sacra litera SOLAS dixerant unicam & certissimam illam regelam esse, ad quam omnia dogmata exigere, & secundum quam de omnibus tunc doctrinis tum doctoribus judicare oporteat, tamen è vestigio Augustanam Confessionem affirmare è verbo Domini esse defuniam, & ex fundamento sacrarum literarum solide extraham. Quod affirmare non potuisse, si ex verbo Domini sive Scripturâ S. tanquam sola dogmatum Theologicorum normâ defunni, idem ipsis esset, quod expressis & dilatis Scripturæ verbis proponi. Certum enim est, Augustanam Confessionem non esse totidem Scripturæ verbis conceptam, sed multa in eâ per consequentiam ex Scripturâ deducta, multa per interpretationem ad sensum Scripturæ rectius assequendum in seita esse.

X. Taceo quod ipsi Walenburchii vi veritatis adacti in Methodo Augustiniana, cum dixissent: Omnis probatio qua deducitur ex Scripturis, vel adserit Verbum Dei terminis expressis, vel verbis Scriptura adjungit interpretationem aut consequentiam, diserto scribant: Quidquid hoc modo probari nequit ex Scripturis, reficitur à Lutherano ab articulis necessariò credendis, citatô in margine, Colloquio Ratisbonensi & Chemniti, additis his verbis: Ipsa etiam docet ratio, nihil contineri in Scripturâ, nisi terminis expressis in eâ repe-

part. II. c.

III. n. 63. IIII. n. 63. Methodo Augustiniana, cum dixissent: Omnis probatio qua deducitur ex Scripturis, vel adserit Verbum Dei terminis expressis, vel verbis Scriptura adjungit interpretationem aut consequentiam, diserto scribant: Quidquid hoc modo probari nequit ex Scripturis, reficitur à Lutherano ab articulis necessariò credendis, citatô in margine, Colloquio Ratisbonensi & Chemniti, additis his verbis: Ipsa etiam docet ratio, nihil contineri in Scripturâ, nisi terminis expressis in eâ repe-

ib. 10.

IV. part.

reperiatur, aut per interpretationem vel consequentiam inde deducatur. Taceo etiam quod Bellarminus & alii Pontificii ingenui fateantur, non illud solum esse de fide, quod expressè à Deo per Prophetas & Apostolos revelatum est, sed & istud, quod evidenter inde datur.

XI. Quaz cùm ita fese habeant, quis neget, vanam esse jaçtantiam Maſenii, vociferantis, Confessionem suam ex nostris legibus ac principiis esse conceptam, & idcirco non posse nos illam salvare existimatione atque integritate nostrâ rejecere: teneri nos etiam juxta professionem propriam ad Pontificiorum partes, ad unum opile, i. e. Ecclesiam Romanam, Pastoremq; summum i. e. Romanum Pontificem reverti? Quis neget inanem esse ejus de Meditaria Concordia sua tanquam raro quadam invento gloriationem? cùm reverā nil nisi vetus illa Pontificiorum cantilena sit & crambe toties cocta & recocita, ut Protestantes missâ doctrinâ suâ ad gremium Romana Ecclesiæ & Papæ revertantur.

XII. Sed mittamus hæc, & pergamus ad alia. Videremus nempe Maſenius, quod non satis sit, nuda Scriptura verba in hac Confessione adduxisse, sed quod prima statim controversia inter nos & Pontificios oritura sit de sensu adductorum verborum. Monet itaque, hanc Confessionem suam *nil nisi S. Scriptura verbis, SENSIUS QVE illis, quibus deponitur, locis conformi*. Quod licet de iis Scriptura verbis concedamus, quibus articulos religionis Christianæ, qui nobis communes sunt cum Pontificiis, proponit, v. g. cùm *Cap. I. art. I. dicitur*: *Credimus quod verbum caro factum sit, natum ex Maria virginem, quodque Christus in carne sit pasus, & Deus sanguine suo mundum redemerit;* & art. 2. *Credimus Christum ita pro multis effudit sanguinem, ut simul se tangnam verus mediator Dei & hominum dederit redemptionem pro omnibus, nec pro nobis tantum peccatis, sed tortiis mundi:* ut qui omnes vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, & quia id genus sunt alia; negamus tamen de iis, quibus dogmata controversia seu ipsos Pontificiorum errore effert. Negamus, inquam, ibi Confessionem non nisi sensu illis, quibus deponitur, locis conformi & obvio loqui.

XIII. Et quia pricipius Confessionis scopus est, articu-

Ex. Concl.

Trid. p. 5.

I. IV. de V.

D. c. g. l. 1.

de purg. c.

15. & l. III.

de justif.

6. 8.

*los controversos fidei, expressos in Concilio Tridentino articulos claris
& expressis Scripturæ verbis proponere, tota difficultas est de-
iis Scripturæ verbis, quibus Tridentini articuli proponuntur,
anne sensus illorum verborum, quem Confessio tenet, illis quibus
depromitur Scriptura locis conformis sit & obvius? Mæsenius affir-
mat, nos negamus. Ille suam assertione probat ex ipso Protes-
tantium, ut apparet, acceptantium suffragio: hæc enim ipsa ejus
verba sunt. Sed quales hic nobis Protestantes, quale Protestant-
ium acceptantium suffragium narrat Mæsenius? Dicit, se illos
Protestantes intelligere, qui Francofurti in Comitiis Electora-
libus S. R. I. anno M DC LVIII ad hanc Confessionem simul
conciannandam suam sibi operam manumque exhibuerint, quippe
tum communem supplicationem amore conciliandæ per German-
iam Religionis conceptam, tūm peculiarem suam Confes-
sionem ibidem obtulerint. At enimvero hos Protestantes nullos
fuisse, sed à Mæsenio piā (ut vocant) fraude fingi, multa sunt
quæ nobis persuadeant.*

Tr. I. p. I.

I. c.

p. 55.

*Diss. I. con-
tra Mæsen.
n. 28.*

XIV. *Primum enim Supplicatio illa, cuius copiam exhibet, sine die & consule, sine appositis supplicantum nominibus edita est, more apud Protestantes planè inusitato. Secundo in-
supplicatione hæc inter alia postulatur, ne novitie, privataque
senſu Doctoribus illa fiat interpretandi libertas, que proprio omnia
judicio ac voluntate definit, Scripturæque divinas pro arbitratu par-
tim admittit, partim rejectit. Quæ in Epilogo Confessionis etiam
repetita eò tendere, ut facultate interpretandæ juxta receptas
bonæ interpretationis regulas Scripturæ Protestantibus prorsus
erupta, ad Pontificis aut Patrum judicium Scripturæ sensus alli-
getur, ut præterea Scripturarum libri in canone ab Ecclesia pri-
mitiva non habitinobis pro Canonicis divinisque Scripturis ob-
trudantur, recte jam à pl. Rev. Dn. D. Johanne Musæo est obser-
vatum. Hujusmodi autem quid veri nominis Protestantes un-
quam postulasse aut postulaturos esse quis credat? Tertiò, circa
finem supplicationis hæc habentur verba: Secundò protestamur,
quod etiam in ratiō mīlitūdine seductorū Germanorum sumus in-
cogniti; nūklominūs universe presentis eternaque salutis desiderio,
etiam*

etiam tacentes oremus, ut uxum Pastorem, & ovile unum liceat impetrare. Qui autem ita loquuntur, si non seipso multitudini seductorum Germanorum annumerant, saltem reliquos Germanos prater se pro seductis habent, & unum Pastorem, Romanum sc. Pontificem, ac ovile unum, videlicet Romanam Ecclesiam suspirant. Quæ utrum Protestantibus verè talibus convenient, judicent qui posunt. Quartio denique Epilogus Confessionis ab his Protestantibus, teste Masenio, etiam est admissus, in quo dicitur, quosdam nobis articulos ad pudem salutemque proponi necessarios, qui tamen nec disertè prorsus clarè que in S. litteris continentur, nec infallibilis ex illis consequentia deduci possint. Ex quo manifestum esse dicit Masenius, Ecclesia autoritatem traditumque illi Dei verbum etiam iuxta Protestantes agnoscendum. Hæc autem genuinos Protestantes admississe nemo facile credet.

XV. Sed argumentis his & aliis non amplius opus esse video. Dum enim hac scribo, oportunè è nundinis Francofurtensis affertur Confessio Fidei Orthodoxa, Confessioni Jacobi Masenii opposita operâ & studio Viri Magnifici, Johannis Thome, Jcti, Consiliarii Sax. Altenb. Consistorii Præsidis, & h. t. ad Comititia Ratisbonensia Legati, è quâ appetet, mera esse Masenii commenta, quæ de Confessione & Supplicatione à Protestantibus Francofurti approbatâ & exhibita jactitat. In praefatione enim Vir Consultissimus Masenium ita confidenter compellat: Tuam eam appello confessionem: absit enim, ut illa unquam, aut, quam tu ei præmitis, supplicatio, à Protestantibus aut agnita sit, aut probata, aut exhibita! Sed nec de illâ alterâ, quam quasi ab ipsis Protestantibus profectam in observationibus istius tuae prime partis insinuas atque supponis, quidquam præter illa, quæ tu quidem ibi spargis, ejus fragmenta, videre mihi contigit; ipse lècet Conventui Francofurtensi, in quo hec circa annum 1658, acta est; alibi referens, interstet interim, eodem iam cum Legationis munere, quod à Serenissimo meo Principe impostum mihi per continuos nunc undecim annos, & quod excurrit sultineo, fungens; ut cùm præsimus ille Heros non postremum inter Principes Augustana Confessionis locum occupet, vel eò nomine in tam gravi religionis negotio prateriri non potuisse, certè non debuisse. An

fac. 3.

B 2

alii



alii, qui Francofurti cum fuerunt, beatioribus esse licuerit, non adeo
mihi liquer. Sane quo cum quidquam ea de re unquam actum aut
communicatum fuisset, ex universo Protestantium Statuum aut Lega-
torum ordine neminem in hunc usque diem potui rescrire. Illud ergo
per amantem te rogo, ut à talibus commentis in posterum abstineas, nec
eis enīquā imponi ulceriū sinas, aut tandem totam rei gestae seriem
pandas, & in quibus adib, quo die vel mense, inter quos, quibusve
vel Authoribus vel ministris illa omnia vel Francofurti vel alibi acta
sint, pleniū edifferas. Hæc ille. Quod testimonium in publicis
Imperi Comitiis prolatum ab eo, qui Conventu Francofurten-
tis ipse ut Legatus interfuit, validissimē Masenio os obstruit, ja-
ctanti ipsum Protestantum accepit, suffragium, eoque nomi-
ne dignum visum fuit, ut h̄c legeretur.

XVI. Manet itaque quod diximus, à nobis non concedi,
sed negari, quod Confessio Maseniana in controversis articulis
sensu illis quibus de promittit locis conformi & obvio loquatur. De
sensu enim illorum locorum semper fuit & etiam nū est maxima
inter nos & Pontificios controversia. Quod tantum abest,
ut negare Masenius possit, ut potius non obſcurè alicubi illud
fateatur, & cynosuram ipse ostendat, quam sequi tunc utrinque
debeamus, quando Scripturæ sensus incertus & controversus est,

n. I. *¶. 2.* *P*arum videlicet & veteris Ecclesiæ interpretationem. Postulat e-
nīm, ne in S. Scriptura interpretatione sensuque illius in rebus fidei
controversis definiens suo quemque nisi iudicio, sententiamque Scri-
ptura pronanciare licet; verum sandlerum Patrum veterisq; Eccle-
sie usibus atq; expositioni communiter recepta insistatur. Et alibi di-
In prefat. fertius: ubi incertum, inquit, arque indefinitum sensum adferat
partis III. Scriptura (quod serè ex partis utriusque dissensu patebit) ad veteris
orthodoxaque Ecclesiæ interpretationem conclusionesq; vertemur.

XVII. Attamen & hæc cynosura parum tuta ac firma est.
Jas. V. 17. Præterquam enim quod Patres homines fuerunt ομονοδοτοῦ, in
quorum solā autoritate satis tutò acquiescere non possumus,
sapienterò sit, ut ipsi etiam Patres in explicatione loci cuiusdam
controversi inter se dissentiant, quod notius est, quam ut
exemplis demonstrari debeat. Consule nunc tantum Bellarmi-
num l. 1. de purgat. c. 5. & videbis, quantopere dissentiant PP. in
inter-

interpretatione loci controversi 1. Cor. III. 15. quantopere discrepent de eo, quid intelligatur 1. per ædificantes. 2. per aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fænum, & stipulas. 3. per diem domini. 4. per ignem, qui in die Domini uniuscujusque opus probabit. 5. per ignem, de quo dicitur: *Ipsæ autem salvo erit, sic tamen quasi per ignem.* Quomodo vero qui ipsi inter se dillicantur, nonrum de sensu hujus vel illius loci dissensum tollere poterunt? Quomodo is sensus statim pro genuino agnoscipotterit, qui apud Patres occurrit, cum & alius apud alios, imò nonnunquam apud eosdem Patres occurrat? Ulterius igitur progredi, & Patrum etiam explicationem secundum receptas bona interpretationis regulas examinare, & si eis conformis sit, approbare, sin minus, improbare licebit.

XIX. Dudum hoc inter ipsos Pontificios vidit Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus, qui postquam præmiserat, solis S. Scripturae prefat. in plura autoribus reservatam antiori atem hanc esse, ut ideo sic credat. Penitus. mus esse; quia ipsi ita scripserint, statim addit: Nullus itaque de ap. Dal. de restringitur novum S. Scripturae sensum, ex hoc, quod dissonat prisca do-nisu PP. I. Goribus, sed scrutetur perspicaciū textum ac contextum Scripturae, II. c. 6. Et si quadrare invenerit, laudes Deum, qui non alligavit expositionem S. Scripturarum priscorum doctorum sensibw. Similiter Mel. I. VII. LL. chior Canus Canariensis Episcopus: ac revera, inquit, sequi majo- Theol. c. 3. res nostros per omnia, & in illorum vestigiis nos quoque pedes nostros n. 10. figere, ut pueri faciunt per lusum, nihil videtur esse aliud, quam inge- nia nostra dannare, & iudicis nos privare nostro, & facultate inqui- renda veritatis. Sequamur veteres, bene habet, sed ut duces, nou- et dominos.

XIX. Dicit Maenius, veterem Ecclesiam primosq; Patres part. I. Tr. ab Apostolis eorumq; discipulis sensum Scripture cum ipsa Scriptura traditum accipisse, & idcirco illum longè maiorem praestare & securitatem. Respondemus: Si hoc velit Maenius, Scripturam in fe- part. II. p. 2. & pref. part. III. esse ita obscuram & ambiguam, ut ejus legitimus sensus, adhibi- tis licet bona interpretationis regulis, inde errari nequeat, & propter ea ab Apostolis eorumque discipulis sensum Scripture ore- tenus Ecclesia traditum esse, qui à posteris simpliciter & fine omni

omni tergiversatione sequendus sit; negamus hanc ejus assertio-
nem. Sin autem nihil aliud velit, quam Apostolos & Viros A-
postolicos ex ipsis Scripturis & secundum Scripturas sensum earum
primis Patribus, & hos deinceps suis auditoribus ore tenus etiam

Ex. Conc. tradidisse, libenter quidem cum B. Chemnitio concedimus;
Trid. part. negamus autem, sensum hunc Scripturae idem longe maiorem pra-
I. de Trad. stare securitatem, quod ore tenus traditus est, quam si hodie pri-
in quarto vato studio ex ipsis Scripturæ verbis, adhibitis bona interpretationis regulis, eruatur. Quam facile enim fieri posse, ut pro-
cedente tempore sub praetextu oralis traditionis pravus Scriptu-
ræ sensus, immo manifesti errores Ecclesiæ obtrudantur, exem-
l. III. Hist. plum Papit Hierapolitani Episcopi apud Eusebium & ipsorum
Ec. c. 39. met Pontificiorum abunde docet, Idque eò facilius fieri potest,
quod longius ad sequiora secula extenditur artas Ecclesiæ & Pa-
trum, quorum sententia staudum sit. Video enim Masenium

part. I. c. interdum nomine *veterem milie & quingentorum annorum*
VII. p. 54. Ecclesiæ, ad quam recurrere, cujusque iudicio ac sententiæ nisi nos
oporteat. Deinde quid fiet, quando discrepantes unius loci
sensus vel apud eosdem, vel apud diversos Patres reperiuntur,?
illiosne omnes ex ore Apostolorum. Virorunque Apostolicorum
acceptos dicet Masenius? Si dicat, sequeretur, Apostolos eo-
rumque discipulos uno ore diversos, immo contrarios unius ejus-
demque loci sensus tradidisse. Sin neget, ostendat, quinam sensu
Patrum ex ore Apostolorum hausti sint, qui non; ostenda-
etiam modum, quo hi ab illis dignosci possint & debeant: hoc
enim ut ostendatur, opera erit pretium.

X X. Sic igitur patet, quam lubrica sint, que de sensu
Verborum sive Confessionis adduxit Masenius. Praterea & hoc
ridiculum est, quod leges in hac Confessione servandas tam an-
xiè, tamque diligenter inculcat, quas tamen ipse in edita Confes-
pref. part. sione non observat. Prima enim & præcipua ejus lex est, ut so-
I. fac. 2. lis Scriptura verbis concipiatur Confessio, omni hominum verbo ex-
*Tr. I. p. 1.*clusa: ut ex sola Scripturâ S. articuli controversi claris expressisq; pro-
p. 9. II. bentur verbis. Hinc à Protestantibus postulat, ut si quid in pro-
prefat. c. 3. posita Confessione emendare velint, id faciant *juxta professio-*
nem

hem reformationis sua ex solo apertoque verbo Dei, omni hominum
verbo submoto: ut ex praescripto illud formula praesent. Et in praे-
munitione ac observationibus ad capita Confessionis sua hinc
inde Protestantium Confessionis auctores reprehendit, quod pag. ix.
suis sepe verbis prater Scripturam aliud locuti sint: quid admissa pag. 12.
conditione de sola S. Scriptura adserenda, repente sei immemores pro- pag. 16. 23.
prio ore loqui coeparent: quod voces inferuerint, quea in S. Scriptura 31. 32. 36.
non habeantur, sed extra Scripturam ossumanur. Tam sepe, in 42. 49. 52.
quam, legem hanc repetit, tam accurate illam servandam pra- 55.
cipit Mafenius, & tamen ipse illius legis tam immemor est, ut
in singulis propemodum capitibus Confessionis sua: eam auda-
der transgredatur.

XI. Etenim Cap. I. de Christo artic. III. inter alia dici-
tur: quod Christus capiit spiritibus secundum animam descendens praे-
dicaverit salutem, secumque illos confidenter traduxerit, 1. Pet. 3. v. 19.
Col. 2. v. 3. cum tamen in allegatis locis neque verba: secundum
animam, neque vox salutem, neque r̄ secum extent. Taceo, quod
Paulus Col. II. 15. non dicat, Christum capiit Spiritus, Patrum sc.
V.T. quibus juxta Mafenium salutem in limbo praedicaverit, tra-
duxisse, sed ex foliis Principatus ac Potestates, dæmones scilicet,
Eph. VI. 12. item, quod verbum traduxit, quo Vulgatus Interpres
Græcum id est μάνον expressit, non denotet gloriosam tradu-
ctionem in limbo in eccliam, quam singit Mafenius, sed ignomi-
niam traductionem, qualis est captivorum in pompa trium-
phali, ut additum participium θεαπλίκου aperte indicat. Cap.
II. De Ecclesia art. I. dicitur: Credimus in unam sanctam Catholi-
cam seu universalem Christi Ecclesiam (Symb. Apost.) qua ut civitas
supra montem sita & tanquam lucerna supra candelabrum posita
abscondi non potest Mat. 5. v. 15. Sed nec in Scriptura, nec in Sym-
bolo Apostolorum, quod allegatur, dicimus credere in Eccle-
siam, neque Mat. V. 15. Ecclesia illa sit mentio, sed tam in praे-
cedentibus, quam in sequentibus Christus ad Apostolos & de A-
postolis suis loquitur. Cap. III de fide & operibus art. I. inquit, Cre-
dimus fidem Christianam esse fundamentum rerum sperandarum, qua
ducimur in cognitionem illorum, que nobis non apparent. Hebr. II. v. 1.
Hanc



Hanc tamen ad salutem non sufficere, quod & demones illa credant
 Pro. 2. v. 19. Attamen neque vox fundamentum habetur in textu,
 neque verba illa: *qua duovimur in cognitionem*, neque Jacobus c. li.
 19. dicit, *hanc fidem*, de qua Hebr. XI. i. sqq. agitur, *ad salutem non*
sufficere: de longe alia enim fide Jacobus loquitur, ut contextus docet. Porro cap. IV. de consilis art. II. ait: *Quod pauci capiunt, nisi qui cum Apostolis relinquunt omnia, etiam uxores. Quales & Presbyteros ac Episcopos, si unius uxoris viri fuerint, desertu coro, ut sancte & continentier exemplo Timothei & Titi vivant, effe portet Matth. 19. v. 10. 27. Tit. i. v. 7. 1. Tim. 3. v. 2.* At vero Apostolos eritam uxores reliquise, apud Matthaeum l. c. non expressè dicitur, nec in ceteris locis quicquam de eo habetur, quod Presbyteros ac Episcopos, si unius uxoris viri fuerint, oporteat *torum ac uxores deserere.* Rursus cap. V. de Sacramentis & Sacrafficio art. III. Confessionis Masenianæ hæc sunt verba: *Credimus illum, qui in cena discipulis dixit, &c. quæ jam supra n. III. integræ recitavimus. Sed nec Job. VI. 5. illa explicatio: si dignè manducet, addita legitur, nec I. Cor. XI. 27. in versione Vulgata (quæ se uti velle promiserat Masenius) habetur disjunctiva VEL, sed copulativa ET, neque ibi hec extant: reus, inquam, utriusque genia utrobique totus, ne nunc cætera ejus articuli tangam, quæ itidem non omnia in locis indicatis reperire licet. Cap. VI. de cultu & invocatione Sanctorum Dei &c. art. I. ita loquitur Confessio: Credimus Deum solum adorandum, neque Angelum aut creaturam ullam adorandam præterea, ut Deum. Matth. 4. v. 11. Colos. 2. v. 18. Apoc. 2. Ast nec in illis locis apparent restrictio: ut Deum, quam Author ideo addit, ut innuat, non quidem licere Angelos & sanctos adorare ut Deum, licere tamen eos adorare alia religiosa adoratione, ut constat ex damnatione, quæ sub finem articuli addita legitur. Denique Cap. VII. de Purgatorio & cœlesti gloria art. I. ita insit: *Credimus sub terra reperiiri, qui nomini Iesu reverenter ampræstent, Phil. 2. v. 10. & quod Deus quosdam ad inferos deduxerat, ab iisdem reducat liberatos, 1. Reg. 2. v. 6. idque vi redemptionis Iesu Christi; ut in sua ipse morte plures ab hac captivitate Paragm' animas liberavit, Zach. 9. v. 11. Ut autem cætera, quæ moneri potest,**

Poterant siccō nunc pede præteream, *Zach. IX, ii.* non legimus,
quod Christus in sua ipse morte plares ab hac captivitate Parum a-
nimas liberaverit.

XXII. Ex paucis itaque his articulis (plures enim brevi-
tatis studio adducere nunc nolumus) satis opinor, constat; Ma-
senium in singulis suæ Confessionis capitibus præcipuum legem
a se positam & utrinque, ut ait, admissam, turpiter transiliens,
& suis sapè verbis præter Scripturam & proprio ore loginium fuisse,
quod adeo vehementer in aliis ipse improbat, ut n. XX audivi-
mus. Ipse igitur judicet, annon hac universa, præter sacras inser-
ta litteras, jure hac Confessione sunt eliminanda, sicut Protestantium
inserita jure à se eliminata esse jactitat.

XXIII. Altera lex, quam itidem crebrò inculcat, hæc
est: *Ut ubi incertus ac indefinitus Scriptura sensu est (quod serè ex part. I. p. 6.
paris utriusque sensu pater) ad Parum ac veteris orthodoxaque part III. in
Ecclesiæ interpretationem conclusionisque reuertatur, eoque privatim prefat.
nostrorum interpretationibus præferantur.* Sed quām sapè & hanc
suam legem ipse violat Mafenius? quām sapè peregrinum & Pa-
tribus prorsus incognitum sensum controversia Scripturæ locis
affingit? Quod uno tantum atque altero exemplo probabile sus-
ficiat. Nenippe *Cap. VII. de purgatorio art. I.* ut nuper n. *XXI.* au-
divimus, verba Hannæ *I. Sam. II. 6.* Dominus dedit ad inferos &
reducit, eo fine ad fert, ut ex illis proberet. Deum animas ad pur-
gatoriorum deductas, irde reducere liberatas. Hanc autem esse
hujus loci sensum nos negamus. Unde oritur sensus paris u-
triusque sensu hujus loci, adeoq; secundum Mafenium sensus
est incertus ac indefinitus. Sequi ergo hæc vi legis suæ debebat Pa-
rum ac veteris orthodoxaque Ecclesiæ interpretationem. Sed quam
veterem Ecclesiam, quos Patres nominabit Mafenius, qui verba
Hannæ ita explicitent, ut ipse explicavit? Sic *Cap. V. de Sacramen-* part. I. p.
tis & Sacrificio art. III. ex loco *I. Cor. XI, 24, 25.* probare vult, Chri- 39.
stum, qui manducare nos iustit corpus, & facere hoc ad sui commemo-
rationem, non iussisse eandem facere commemorationem de calice, nisi
quiescunque biberemus, vel, ut alibi clarius mentem explicat,
calicis ex his verbis sumendi manere libertatem, paris esse necessaria- part. III.
tem p. 284.

tem. Sed ubi Patres, ubi Ecclesia vetus & orthodoxa hanc *interpretationem*, hanc *conclusionem* habent? ubi eam approbat?

In supplic. XXIV. Rursus alia ejus lex est, ne *Scripturae S. interpretationem* part. 1. p. 2. si per aliam *Scripturam toleretur*, nisi simul constet, atque infallibilis & observ. ex *sacris literis demonstratione evincatur*, locum, qui ad expositionem 2. p. 7. assumitur, *buc à Spiritu S. illa definitione sensus destinatum esse*. Contra hanc legem itidem peccat Masenius legislator. Nam *Cap. I. de Christo art. IV.* inter alia hæc habet: *licet in cœlos ascendenteris, ne impleret omnia; Eph. 4. v. 10: quæ scripta sunt de illo in lege Moysi & Prophetis; Lut. 24. v. 44.* Hic, ut quilibet videt, & ex observatione ad *Cap. I.* constat, Masenius locum *Eph. IV. 10.* interpretatur per aliud *Scripturalem locum Lut. XXIV. 44.* & vult, *Christum ascendendo, in cœlum implevisse omnia, quæ de ipso scripta erant.* Sed quâ infallibili ex *S. literis demonstratione evincet* Masenius, *locum Lut. XXIV. 44.* qui ad expositionem alterius loci *Eph. IV. 10.* ab ipso assumitur, *buc à Spiritu S. illa definitione sensus destinatum esse?* Unde constabit agnoscat sua ipsius verba Masenius) uter locorum per alterum, & an omnino per alterum non alter sit exponendus? Negas enim quidvis explicandum per quidlibet: neque solùm tradendum est, quis posset esse loci sensus, sed quis esse debeat.

XXV. Accedit, quod Jesuita reprehendit Protestantes locum: *Eph. IV. 10.* pro se adducentes, qui dubit obscurisque sensu, sit, & tamen ipse eundem locum in sua Confessione adducit. Dicit, se id in gratiam Protestantium tantum fecisse, qui locum illum addiderant. Sed contra, vel locum ille *Eph. IV. 10.* revera dubii obscurique sensus est, vel non. Sin hoc, frustra Masenius carpit Protestantes. Si illud, debuisset & ipse locum illum in Confessione sua, omittere, cum Protestantes eo nomine vellent, quod locum dubii obscurique sensus pro se adduxerint, vel faltem debuisset in interpretatione ejus ad veteris Ecclesiæ & Patrum interpretationem se convertere, juxta suam ipsius legem: pñcti: pñcti: Scriptura S. ubi claram, certam definitamque promis sententiam, pro 11. fac. 1. fundamento fidei & regula normaque, ut loquuntur, conciliatio futura est: ubi incertum atque indefinitum sensum adseret (quod serè ex partis utrinque dissensu parebit) ad veteris orthodoxaque Ecclesiæ inter-



interpretationem conclusionem quæ vertemur. Cur igitur locum adducit? Cur cum non ex Patribus interpretatur, sed ex ipsa Scriptura, & quidem ex loco Lus. XXIV, 44. cùm tamen infallibili ex S. literis demonstratione evincere nequeat, locum illum Scripture, qui ad expositionem alterius adhibetur, definit hoc, quo usurpatur, sensu ad illius explicationem destinatum à Spiritu S. esse?

XXVI. Ad eundem modum alibi etiam peccat contra alia, quæ sanctè servanda esse præceperat, ut adeò optimè in eum quadret illud Salvatoris nostri: Colligant onera gravia & voca-
sula, & imponunt in humeros hominum: ceterū digito suo nolunt
eamovere. Ad quæ verba Theod. Beza in margine notat: Hypo-
critæ plerumque severissimi sunt eorum exactores, quæ ipso maximè
negligunt.

XXVII. Quid autem de eo dicemus, quod à Masenio proponitur Confessio FIDEI publica ex claro puroq; Dei verbo, p. 13. ut habet inscriptio, & tamen in Epilogi advertendum esse dicitur, quosdam nobis articulos ad fidem salutemq; proponi necessarios, quia tam
men nec disertè prorsus clareq; in S. literis continentur, nec infallibili ex illis consequentiā deduci possint, ideoque solum admittantur, quia
verius primiag; Ecclesia Concilii, Symbols & Patribus hoc sensu accep-
taverint. — Et propterea non esse, quod veremur in necessariis si-
dei articulis, exortisq; de his controversiis, quæ S. littera disertè non
definiunt, ad veterem mille & quingentorum annorum Ecclesiam recur-
rere, ejusque iudicio ac sententiā nisi? Quid de eo? quod subinde
solam, eamque claram ac disertam scripturam & in incertis ac
ambiguiis Patres crepat, & tamen in præmonitione totidem ver-
bis monet, neque Scripturas S. neque SS. Patres tam ubique disertè
clareq; de rebus ad fidem necessariis sententiā emuniciare, ut praesidens
sibi arrogans ingenium ex his illisque deceptis quasdam, ad hæresin
auspicandam fovendamque opiniones haurire non poscit, imò quod
Protestantibus vitio veritatis, si ad patres velint recurrere, quando de
sola Scriptura agendum est: Quid denique de eo? quod negare
nequit, Protestantes (quos ja&t;at) in sua Confessione nonnulla
circa Confessionem Pontificiorum monuisse & aliquibus in lo-
cis ab eâ dissensisse, quem dissensum etiam in suis post singula

Matth.
XXXIII. 4.

p. 53.

p. 54.

p. 18.

pref. part.
1. fac. A.

p. XI.

- p. 12. capitulo observationibus designat, & tamen non vult, observationum in
proposita Confessione rationem ullam haberi. Ipse interim ex illis
Protestantium suorum monitis pro lubitu quedam admittit,
quædam rejicit, quædam demit, quædam addit, prætexens,
ex recepta utringue lege s. tanum Scripturam se admittere, rejetis
verbis hominum, inquit singulos articulos damnatione sententia Pro-
testantium concludit, quod ante non ubique servatum fatetur, &
p. 12. 16. tamen hoc culpam mutationis non posse incurtere ait. Sanè qui Spi-
ritum vertiginis, contradictionis & vanitatis hic non advertit
is nihil advertit.

XXIX. Id autem ipsa vanitate vanus est, quod ab amicis disceptatoribus, qui secum in arenam super Meditata hæc
pref. partis Concordia descendere velint, postulant, ut Universitatis alicujus
I. fac. 5. vel Ecclesie, aut congregationis certe suique Principis autoritate mu-
pref. part. niti prodeant: non enim, inquit, contra quemvis privati ingenii sen-
III. fac. susque venditatorem nobis calumnum sumere integrum est, qui totius
ult. & præ- Ecclesia Catholicae judicium exponimus, apponimusq; dampnatur vel
munit. I. apicum minimum, qui illi adversabitur; Sed Ecclesiam Ecclesia com-
p. 7. ponemus, aut secus acturos responso judicabimus indignos. Quoce-
nim jure, quâ fronte hoc postulare potest, cum ipse neque Uni-
versitatis alicujus, vel Ecclesia, neque congregationis certa, neque
Principis cuiusdam, neque, quod caput rei est, Rom. Pontificis au-
toritate manus prodierit? Sine Rom. autem Pontificis consensu, cu-
jus post Deum primam in sacris illi rebus, debet esse autoritas, neq; ipsi
neq; catholicis ceteris de illa conciliatione gravius quicquam tractare.
part. I. p. 5. fas est, ut Mafenius ipse ingenuè fatetur. Quid jaçitat se talius Ec-
part. II. Ep. clesia catholica judicium exponere & apponere, cum tamen nullius
dedit. fac. 2 nedum catholica Ecclesie judicium exponat & apponat? Quid
est, quod dicit: Ecclesiam Ecclesie componemus, cum quicquid in
hoc concordia negotio egit, id omne nullius Ecclesie autorita-
te, sed privato consilio, studio & ausu egerit? Inter Catholicos illa
p. 10. & II. Confessio A M E P R I M U M ex collectis collatisq; in genuino sensu:
Scripturae verbis composita est. Vixit MIHI aliusq; non inconveniens illa medium fuit &c. Nunc vero quid EGO in hujus confessionis ire
rat a divulgatione fecerim, est observandum, ipsa ejus verba sunt. Si
qua-

quæras, quinām sint illi illi, quos sibi adjungit? respondet ipse,
esse quosdam ex Pontificis, esse homines incognitos, tacentes. Illine
vero totam Ecclesiam Catholicam constituant, ut quod eorum fuit
de Concordia inter Protestantes & Pontificios instauranda judi-
cium, pro iudicio totius Ecclesie Catholice haberi debeat?

p. 4.
p. 3.

XXIX. Ex hoc, quod hæc tenus exhibuimus, *specimine* satis
superque apparet, quām vanæ, quām inutiles; quām nullæ sint
Masenii meditationes de Proteslanticum cum Pontificis in unâ
Confessione fidei ex S. Scriptura desumpta Concordia, quanta
item sit hominiſ jactantia, rem tam futilē tantoperē commen-
dantis, ut scribere non erubescat, si qua in re Principiū tam Ec- part. I p. 9.
clesiasticorum, quām ſecularium diligentia opus sit, hanc omnino effe,
ex qua tamen praefens imperii pax & felicitas, quam vita post brevissi-
mam hanc aeterna ſalutis dependeat. — Rem effe tantam, que praesentis
aeternaeque felicitatis momenta complectatur, in qua pro causa ma- p. 13.
gnitudine ſerio, conſtant ergo, agendum ſit. — Nullam unquam tanti part. II, in-
ponderis momentique causam, nullam tam universalem omnium, nul- demissa po-
lam que cum tantis tanquam ingentibus vel periculis no- ſulationes
ſtris coniuncta ſit, oblatam nobis unquam fuisse, nullam denique (au- fac. 4.
dire, ait, que dicturus ſim) nullam inquit, que tanta noſtra gloria
tantaq; felicitate posſit expediti.

XXX. Mittamus igitur has ineptias, melioremque mentem &
utiliores meditationes Maſenio apprecepimus, rogantes, ſuorum
ipſe verborum memor effe velit, quibus monuit, ad paulo ſoldior part. III:
rem concordiam, meliusq; in S. fundatam literis adſpirandum effe, aut premun-
de ſalute mulorum fore conclamatum. Nos interea cum beatis
majoribus nostris hanc concordiam ex animo diligimus, & toto pecto- z. p. 14.
re amplectimur, eamq; pro virili (quantum quidem in nobis erit) pro- F. c. in fol.
movere ſuntmo ſtudio cupimus, qua Deo honor ſanus illibata ſervetur XI. in fine d.
veritati Evangelica nihil decedat, nulli etiam falſo dogmati locis con-
cedatur, peccatores ad ſeriam penitentiam inviterintur, perturbare
menes fide erigantur, inobedientia nova conſirmentur, atq; adeo
per unicum Christi meritum iuſtitiam veram &
ſalutem aeternam conſequantur.

LITURGIA

C. 3.

ΕΠΙΜΕΤΡΑ.

I.

An recte Masenius in Confessione suā Cap. I. de Christo art. III.
ex Sach. IX, 11. 1. Petr. III, 19. & Col. II, 15. probet, quod Christus
vī sanguinis & redēptionis sue emiserit vincētos, sc. Patrum sp̄i-
ritus ē limbo, capisque sp̄iritibus, secundum animam descendens
predicaverit salutem, secunq̄ue illos confidenter traduxerit? Neg.

II.

An satis solidē C. II. de Ecclesia art. II. ex Matth. XVI, 18. pro-
bet, Christum in Petro fundasse Ecclesiam in terris, adeoque Petram
esse caput & Principem Ecclesie Christi super omnem terram? Neg.

III.

An validē C. III. de fide & operib⁹ art. IV. ex 1. Job. III, 14.
Luc. VII, 47. probet, fidem aut fiduciam in Deum se solā non iustifi-
care, sed per charitatem? Neg.

IV.

An firmiter C. IV. de consiliis art. I. ex 2. Cor. XII, 7. probet,
Paulum extra matrimonium stimulo carnis fruiſſe vexatum, seu ſimili-
lum carnis extra matrimonium feriſſe? Neg.

V.

An recte C. V. de Sacramenta & Sacrificio ex Luc. XXIV, 30.
probet, Christum in Emmaus sub una specie panis Eucharistiam adini-
nistraſſe? Neg.

VI.

An benē C. VI. de cultu & invocatiōne Sanctorum Dei ex 1. Reg.
XXXIX, 14. probet, Samuel à muliere invocatum adiuiſſe, & pro-
inde sanctos preces nostras exaudire? Neg.

VII.

An validē satis C. VII. de Purgatorio & cœlesti gloria ex Phil.
II, 10. & 1. Reg. II, 6. probet, sub terra in purgatorio quosdam captivos
detineri, inde à Deo liberandos? Neg.

CLA-

CLARISSIMO VIRO
DN. ADAMO PLACOTOMO,
SS. Theol. C. dignissimo,

Beacusas in *D*omino!

Serpis ardenti f*as* est, decernere Marte*s*.
Cui rident magni minia magna Ducis.

Serpis Aoni*o* movisti pr*æ*lia Marte*s*.

Lauru donatus Victor Apolline*a*.

Vix poteras Clari*a* victor decedere pugna*s*,

Cum nova pugna Tibi, cum nova castra placent.

Publica vi*s* poteras Academica*s* inquere rostra,

Cum repetens genium ad publica rostra redis.

Nec tamen assiduo vel sic concessa labori.

Finis, quotidie dum nova bella paras.

Inde Tibi, veniant! magnos, PLACOTOME! magni

Ductoris titulos anguror inedit*is*.

T. olof i^oh^on

JOH. VVEINMANN, D.
P. P. ac Pastor Altdorffinus.

PER EXIMIO
DN. ADAMO PLACOTOMO,

SS. Theol. C. Strenuo*s*
pacem à Masenio oblatam censuræ
publicæ submittenti

FELICITER!

Cur turbas pacem? cur non nisi cl^{as}sica cantas?
Forsan, quod bellum pax trahat illa novum.
*Afectu*s & quidem singularis,
testando apponebam

Joh. Ernestus Gerhardus,

SS. Theol. D. & P.P.

CLAS*s*

CLARISSIMO
PLACOTOMO,
^{de}
felicibus in studio profanæ &
sacræ Sapientiæ progressibus
gratulatur,
&
huic censuræ
OMNES
^{adclamat}
Guernerus Rolfincius, D.
Mæcē tuâ virtute, tuis ingentibus ausis,
Illustre quondam sic eris patriæ decus.

Nil quicquam satius daret S U P R E M U S,
Quam passu socio sequi quietam
Pacem, Religionis & profanam:
Verum semina dum manent vagantis
Mavoritis, dubius sequensque finis,
Optandum potius dies ut adsit
Extremus, veniat, vocetque Genteim
Totam ad confilium Arbiter supremus.

Hinc
Securam optando pacem Inquilino
Suopio & dilecto gratulatur

NICOLAUS MICHAEL
Himmel/D.




00 A 6344



R10

VDA



IV.
gion
o, qu
ddidi
navi
Eecel
radi
circu
natur
fluen
subst
m, cc
is ten
inde
rorut
form
Garne
morto
occum
leog;



BIG. 19.

SPECIMEN
VANARUM MEDITA-
TIONUM
JACOBI MASENII,
JESUITÆ COLONIENSIS,
EX ENIS
MEDITATA CON-
CORDIA
PROTESTANTIUM CUM CATHO-
LICIS IN UNA CONFESSIOINE FIDEI,
EX S. SCRIPTURA DESUMTA,
PRAESENTE
SEBASTIANO NIEMAN-
NO, SS. TH. D. P. P. Superintendentē ac
Pastore.
ad d. Maji
ANNI M DC LXVI.
Publico Eruditōrum examini
exponet
ADAM PLACOTOMUS,
Friedlandō Mechlenburgicus.

EDITIO ALTERA, M DC LXVII.
JENÆ,
Typis BAUHOFERIANIS.

17.

